

## Die Stiftungsurkunde des Jesuitenkollegs in Münster 1588.

Transkription 2016 Annette Soesanto (Dez. Historische Bestände ULB Münster), Korrektur des Mittellateinischen von Elmar Rickert.

Kopie auf Pergament vorhanden im Landesarchiv NRW Abteilung Westfalen: Studienfonds Münster, Jesuitenkolleg Münster - Urkunde Nr. 231 mit Datum vom 13. September 1588 (Altsignatur: Gymn. I.9.9.). Der Eintrag im Findbuch A 172 I lautet: "Copia authentica foundationis primae Collegii Societatis Jesu Monasterii".

Digitale Sammlungen ULB Münster, 2016:

<http://sammlungen.ulb.uni-muenster.de/ob/content/titleinfo/4089400>

IN Nomine sanctissimae Trinitatis Amen. Nos Decanus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Monasteriensis, notum facimus omnibus et singulis haec lecturis vel legi auditoris, quod postquam pia recordationis Reuerendus Nobilis et Equestris ordinis vir Godefridus a Raesfelt Decanus quondam noster sempiterna memoria dignissimus pro sua erga domum Dei sollicitudine animaduertisset sacri oecumenici Concilij decretis sancitum atq[ue] imperatum esse, vt in Cathedralibus Ecclesijs doctorum virorum et pietatis sincerae seminaria instituantur, quorum praesidio Catholica et orthodoxa religio hisce afflictissimis et exulceratissimis temporibus (diuina gratia cooperante) augeatur atque conseruetur pium suum zelum erga hanc Ecclesiam nostram, et illius dioecesis testatum facere volens, inter alias vltimae voluntatis suae dispositiones ordinauerit ac disposuerit, vt a nobis de Societate Iesu Sacerdotes et professores accerserentur, qui iuxta instituti sui rationem a Sede Apostolica et sacro oecumenico Concilio approbatam, apud nos Scholas haberent, atque iuuentutem Reipub[licae] Christianae seminarium pietati, ut litteris instituerent, tum etiam confessionibus audiendis catechizando, concionando et in aede summa, (vbi Capitulo sic visum fuerit) et alijs locis, demum quibuscunque suae vocationis laudabilibus exercitijs iuxta piam testatoris voluntatem et nostram expectationem libere vacent et fructum in vinea Domini faciant prout instituti ipsorum ratio efflagitat, et iuxta mensuram gratiae illis communicatae licebit in Domino. Quapropter matura deliberatione et necessarijs tractatibus desuper habitis nos Decanus et Capitulum praedicti D[omini] Decani pium et laudabilem conatum nolentes interciderere Collegium Societatis Jesu in hac ciuitate Monasteriensi<sup>1</sup> accedente Reuerendissimi ac Serenissimi in Christo Patris ac Domini nostri D[omini] Ernesti Episcopi Monasteriensis expresso consensu et approbatione instituere, erigere, eiusque foundationem ex dicto testamento inchoare decreuimus et reipsa praesentibus litteris instituimus erigimus et inchoamus. Porro quo commodius et liberius Societas officio vacare possit, absque temperalium [!] rerum inportuna sollicitudine ad quoditianam illorum sustentationem, pium octingentorum dalerorum Imperialium in annuis redditibus [!] legatum ab Executoribus Testatoris praememorati quondam nostrj Decani, Nobis in eleemosynae nostrae officium (quod vocamus) traditum vna cum redditibus [!] quos usque in praesens Scholarcha noster habuit, assignamus quotannis et applicamus, quorum summa capitalis census annui erit mille dalerorum Imperialium, quos Eleemosynarius nostrae Ecclesiae pro tempore Societati quatuor anni temporibus quae angarias appellamus, numerabit, et ipsi ab eo perpetui accipient scilicet angarijs singulis 250 daleros Imperiales non obstante quacunque mutatione quae circa praedictos annuos census vel redditus quibusunque temporibus vel caussis accidere posset, nisi fortassis aliquo casu (quod Deus auertat) per communes patriae clades fortunis nostris nos contingeret exui, et dictum Collegium hic Monasterij amplius permanere non posset aut vellet, tunc enim dictos census et redditus ad alia loca transmitter et dare nolumus esse obligati. Quocunque tamen tempore facultas fuerit Societati redeundi<sup>2</sup> ad Collegium, robur suum haec dotatio nostra obtinebit. Ad diuini autem cultus exercitium pro tempore quando nondum alia ratio occurrit melius prouidendi assignamus

<sup>1</sup> Monasteriensi] expresso consensu *inser. et del. G. H.*

<sup>2</sup> redeundi] redeunti *corr. G. H.*

atque donamus ad vsum Societati praedictae templum D[o]m[in]i Nicolai et Scholas nostras eidem templo vicinas, iam inde ab initio dictas Paulinas, quibus ex gremio Capitulj nostri semper Scholasticus praeest, vt ad eum in grauioribus difficultatibus et periculis pro consilio et auxilio quod a nobis efflagitandum putaretur Rector recurrat; tum ad habitandum aedes quas in immunitate Cathedralis nostrae Ecclesiae Reuerendissimi Episcopi nostri Sacellanus pro tempore possedit, et quia illa aedes angustiores sunt, quam vt in illis necessarius Collegij numerus hominum degere possit, vicinas seu contiguas adijcimus aedes a possessore in hunc usum pretio conductas, donec de commodioribus alio loco vel his ipsis ad vsus Societate dandis aptandis et augendis mutua opera et sollicitudine prouideri possit, quo casu postquam hac ratione de commoda habitatione prospectum fuerit iam dictae domus ad dispositionem nostram reuertentur, sperantes diuino beneficio futurum vt aliquando redeuntibus foelicioribus temporibus, et crescente hominum deuotione, tam de habitatione quam sustentatione liberaliore ad maius Dei Opt[imi] Max[imi] obsequium per nos vel successors nostros Societati prospiciatur, qua in re operam nostram quoad fieri potest pollicemur. Vt autem consuetudo<sup>3</sup> recepta fundandi Societatis Collegia obseruetur Collegium dicto modo fundatum offerimus, donamus et applicamus libere Admodum Reuerendo Patri Claudio Acquaviuae totius Societatis Jesu praeposito Generalj S. R. patern[itati] obtestantes vt illud eiusq[ue] applicationem et dotationem a nobis vt praedictum est recipiat et admittat, tum pro sua prudentia atq[ue] pietate animum serio adijciat vt illud per suos recte instituat atq[ue] curetur; Nominatim vero petimus et rogamus vt praeter sufficientes professores, qui humaniores litteras latinas et graecas Rhetoricam vt Dialecticam profiteantur, Sacerdotes aliquot mittat, et inter eos sit Theologus qui ter in hebdomada Ecclesiasticis et adultioribus discipulis qui ex scholis his ad munia pastoralia formari debent lectionem aliquam Theologicam praelegat, examini ordinandorum et emancipandorum Canonicorum nostrorum, si non ad sententiam ferendam saltem ad examinandum intersit (quod munus hactenus Scholarcha noster obiuit) Synodalem quoq[ue] orationem bis in anno habere possit. Et quia ex testamento piae memoriae Reuerendissimi D[omini] Joannis Kritt Suffraganei Episcopi nostrae Ecclesiae duodecim alumnorum seminarium ante annos aliquot a nobis institutum est, quorum ex scholis nostris sex iam Coloniae in Bursa Laurentiana, alij adhuc in scholis nostris operam dant litteris, et stipendia sua accipiunt, quos pro tempore Decano, Scholastico et Seniori libere praesentare ex dignioribus Gymnasij Cathedralis Ecclesiae nostrae discipulis procreatis legitimis nuptijs, corpore integros Monasteriensis dioecesis, et quidem bonae spei vt christianis moribus, disciplina ac doctrina catholica commode possint imbui hactenus vigore foundationis desuper erectae ad Scholarcham et alios duos praeceptores pertinuit, cupimus ne hoc pium institutum detrimentum patiat, vt Rector Collegij Societatis pro tempore existens per se vel suos ad id idoneos hanc praesentationem ita retineat, vt bona fide et conscientia duos vel tres quos aptiores esse cognouerit ex discipulis Scholae suae in quibus supra dictae conditionis reperiantur per se examinatos sistat praedictis Decano, Scholastico et Seniorj vel coram iisdem (si id malit Societas) examinet aut examinari per suos curet, vt hac ratione constet quis dignior sit, in quem a saepe dictis dominis huius foundationis beneficium conferatur. Postremo rogamus vt Reuerendus pater praepositus honorabilis Societatis Jesu haec omnia et singula quae diximus iuxta instituti Societatis rationem et consuetudinem acceptare, corroborare et confirmare dignetur. Vt praemissa firma et inconcussa habeantur ac seruentur, nos Decanus et Capitulum, nos nostrosq[ue] successores ad praesentis institutionis erectionis et dotationis huiusmodi Collegij inuiolabilem obseruationem cessante supra dicto impedimento efficaciter obligamus non obstantibus in praedictis omnibus vel eorum aliquo legibus constitutionibus, decretis, statutis, consuetudinibus et alijs quibuscunq[ue] in contrarium facientibus quibus omnibus et singulis in quantum nostrae huic praesenti institutioni et erectioni obstant, seu obstare in futurum possent, derogamus, et derogatum volumus per praesentes. Nos vero Ernestus Dei et Apostolicae sedis gratia Monasteriensis Ecclesiae postulatus et confirmatus, huiusmodi Collegij erectionem, dotationem et omnia singulaq[ue] praemissa ad maiorem Dei gloriam multarumq[ue] animarum salutem et specialem Ecclesiae nostrae Monasteriensis et dioecesis utilitatem tendere depraehendentes omnia et singula rata firma et grata

---

<sup>3</sup> consuetudo] consuetudo *corr. supra lin. G. H.*

habentes authorizationis nostrae ordinariae praesidio in omnibus et per omnia approbanda et confirmanda duximus, prout tenore praesentium approbamus et confirmamus ob hocq[ue] sigilli nostri appensione communiri fecimus. Nos quoq[ue] Decanus et Capitulum supra dicti in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum quatuor diplomata eiusdem tenoris sub sigillo nostro maiori expedienda curauimus, quorum vnum nobis reseruantes, tria Societati dedimus, vt vnum praeposito suo Generali; alterum prouincialj transmittant; tertium sibi in Collegio Monasteriensi habeant et conseruent. Datum Monasterij Anno Dominicae incarnationis M.D.LXXXVIII die 13 Septembris.

Pro copia authentica et cum originali concordante, Gerhardus Hulsbusch Notarius publicus approbatus, Necnon Aulici Iudicij Mon[asteriensis] procur[ator] iuratus in fidem manu propria subscripsit